Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift



cedine cunctorum qui hoc audire possint corda refoueant. et octonario die
rum numero. uerum tempore resurrectionis gaudium doceat esse uenturum.
Nam et ipse octaua die idem post sextam sabbati quam crucem ascendit et septimam
sabbati quam in sepulchro quieuit amortuus resurrexit. et nos post sex huius seculi
etates in quibus pro domino pati et laborare gaudemus et septimam quietis anima
rumque interim in alia uita geritur quasi octaua etate resurgemus. Nam
quod matheus dominum marcusque post sex dies transfiguratum dicunt. nec tempo
ris ordine nec misterii ratione resultat. quia et illi medios tantum ponunt
dies unde et absolute post dies sex. factum dicunt hic primum adiungit.
et ultimum. idoque temperantius fere dies octo commemorat. et illi post
sex mundi etates sanctis a labore quiescendum. Hic uero tempore octauo desig
nat esse resurgendum. Unde et pulchre sextus psalmus pro octaua scribitur.
cuius initium est domine ne in furore tuo arguas me. quia nimirum per sex etates
quibus operari licet precibus est instandum ne in octauo retributionis tempore a iudice
corripiamur irato. quod et ipse dominus hoc loco uoluit nos ostenso sue orationis
exemplo docere de quo subditur. Et ascendit in montem ut oraret. In mon
tem namque oraturus et sic transfigurandus ascendit. ut ostendat eos qui
fructum resurrectionis expectant. qui regem in decore suo uidere deside
rant. mente in excelsis habitare et continuis precibus incumbere debere.
Tres solummodo secum discipulos ducit. quia multi sunt uocati pauci uero
electi. et qui hic fide qua imbuti sunt sancte trinitatis incorrupta mente ser
uauerunt. illic eius eterna merentur uisione letari. Et factum est dum ora
ret species uultus eius altera et uestitus eius albus refulgens. Transfigu
ratus saluator non substantiam uere carnis amisit. sed gloriam future uel sue uel
nostre resurrectionis ostendit. que qualis tunc apostolis apparuit. talis post iudicium
cunctis apparebit. electis. Nam in ipso tempore iudicandi et bonis simul
et malis in forma serui uidebitur. ut uidelicet impii quem spreuere iudi
que negauere milites quem crucifixere pilatus herodes que quem iudicauere
queant agnoscere iudicem. Uestitus autem domini sanctorum illius chorus accipitur. quem
glorificans apostolus ait. Quot quot ergo in xpo baptizati estis xpm induistis. qui
uidelicet habitus domino in terris consistente despectus aliorumque similis uide
batur. Sed illo montem petente nouo candore refulget quia nunc filii dei sumus.
et non dum apparuit quod erimus. scimus quia cum apparuerit similes ei
erimus. uidebimus enim eum sicuti est. Unde bene marcus hec uestimenta
describens ait. Qualia fullo super terram non potest candida facere. Nam quia
ille hoc loco intelligendus est fullo. quem penitens psalmista precatur am
plius laua me ab iniusticia mea. et a delicto meo munda me. non potest
suis fidelibus in terra dare claritatem que eos conseruata manet in celis. Et